Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8322
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

Illuminet te ille spiritus, qui in te effusus est: Amen.
Benedictio dei patris, et filij, et spiritus sancti sit semper tecum. Amen.

Oratio.

Domine deus coelorum, deus archangelorum, deus Apostolorum, deus prophetarum, deus qui fuisti ante constitutionem mundi, et cum Abraham testamentum disposuisti, dicens, multiplicabo semen tuum, sicut stellas coeli, et sicut arenam maris, inuoco te Abba pater, adesto mihi per manus impositionem, sicut affuisti sanctis apostolis tuis, quibus dixisti, in nomine meo manus aegris imponite, demonia effugate, infirmos curate, male habentes uisitate. Hæc quotiescunq; feceritis, in nomine meo facite. Hæc facimus in nomine tuo, et in tua uirtute, quia gratis accepimus, gratis damus.
Nam ego sum uermis, et non homo, manum meam impono supra caput suum, et opera digitorum tuorū.
Et tu domine ex ore tuo mittere digneris spiritum sanctum paracletum et liberare dignare ancillam tuam. N. ut ubicunq; lateat immundus spiritus, diabolus euellatur et radicetur, sicut Sodoma et Gomorra, et muri Iericho, sic et tibi denuntio immundissime spiritus Satanas quicunq; es, siue draco aut angelus apostaticus, ut exeas et recedas ab hac famula dei N. per eum qui uenturus .etc.